

NITIO, avunculum vocaverat, sed hæc vocabula Galli in primis sæpe confundunt, quibus *oncle* uterque ) Halberstadiensis ecclesiæ archidiacono, qui statim in eius consilii partem venit. Ambo igitur pares animis patria excedunt, in manus Gilduini Abbatis S. Victoris primi vota emittunt, sanctique Augustini regulam profitentur. Tunc præter propter annus erat Domini millesimus centesimus decimus quintus.

Parisiis Doctor Theologiæ creatus est (l)

Unde Magister dictus ab ALBERICO. (m)

Hinc Prior in monasterio S. Victoris in quo & usque in finem vitæ permanfit. (n)

Obiit A. MCXLII. III. Id. Febr. teste veteri codice Aquicinctensi. (o)

Talis & tantus fuit, ut in ordine canonicorum regularium, & tota orthodoxa religione Christi etiam mortuus quam plurimum celebretur & sepultus gloriose vivat, ita ut alter Augustinus nominetur, laudante BORCHARDO episcopo Halberstadenfi. (p)

Ob eximiam eruditionem & scripturarum doctrinam alter Augustinus ævo suo habitus est, (q) vel propter vitam honeste & sancte actam & sapientiam. (r) In primis inter Ascetices magistris famosissimus habitus est. (s)

Chronicam suam de Romanis Pontificibus & Imperatoribus digessit usque ad Annum MCXXX. (t)

Didascalicon libris 7. distinctum exstat excusum sec. XV. fol. min. cui adnectitur Tractatus Hugonis de anima Christi; Tractatus de laude charitatis; Quo studio orandus sit Deus & de diversis orationum affectibus; Tractatus de Lya & Rachel uxoribus Iacob & de concubinis eius Bala & Zelfa & Filiis eius & filiabus; Item opus de sententiis vel assertionibus in quibusdam verbis divinis & rerum naturis,

Prodie-

(l) v. Paulus LANGIUS in Chronico CitiZensi ad ann. 1123. apud. Henr. MEIBOMIUM de Hugonis patria T. III. Rer. German. p. 430.

(m) in Chronico ad ann. 1123. p. 263.

(n) v. LANGIUS l. c.

(o) apud Ioh. MABILLONIUM Analector. T. 1. p. 326.

(p) in epistola A. 1456. scripta apud G. G. LEIBNITIIUM præfat. ad Alberici Chronicon pl. 1. f. 4. p. 2.

(q) v. LANGIUS l. c.

(r) v. WINNIGSTADIUS l. c.

(s) v. LINDENBORNIUS l. c.

(t) v. ALBERICI Chronicon ad hunc annum p. 264.